Friderico, Marchione Brandenburgensi, Bartholdo de Ursinis, Comite, ac Regum, Principum, Prælatorum, Universitatum, Communitatum, Ambassiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

Sessio decernit literas gratiosas & executorias super sententia Petri de Luna, seu ejus dejectione. *In MSC. Brunsv.*

In MSC. Brunsv. per alium Notarii hæc subjuncta.

Qua quidem sententia definitiva promulgata, statim de mandato Synodi, propter dissensiones nationum in respondendo per ordinem, reverendissimus Pater *Dominus Johannes Episcopus Ostiensis* approbavit sententiam & omnia alia & singula facta, etiam supplendo quoscunque defectus, per verbum *Placet*. Mandans eadem sancta synodus sententiam, ut præmittitur, latam, subscribi per Proto-Notarios & Notarios concilii & bullarum &c. Præsentibus prædictis Dominis Principibus, Ambassiatoribus &c.

Et statim chorus incepit cantare hymnum: *Te Deum laudamus* &c. Et fuerunt *pulsatæ campanæ*, & pulsata organa, *in modum gaudii & spei futuri boni*. Præsentibus prædictis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Cæsar per tubicines per totam urbem denunciari publice curavit, Papam Benedictum de sede esse dejectum.

d. 26. Jul. A. 1417.

Eodem die Lunæ, 26. Jul. post sessionem, ante meridiem, A. 1417.

Quemadmodum in ipsa sessionis celebritate, Benedicto Papa sede moto, campanarum fragore & instrumentorum musicorum strepitu, ingens orbis in Concilio gaudium ex tempore fuit declaratum: Ita & Cæsar hoc memorabile Concilii facinus omnibus Concilii hospitibus voluit innotescere. Quapropter per obequitantes per vicos tubicines publice omnibus Petrum de Luna de Papali sede præcipitatum denunciavit. *Dacherio* teste.

SESSIO GENERALIS XXXVIII.

in templo Cathedrali, Præside Johanne Ostiensi, Cardinale ViceC.

d. 28. Jul. A. 1417.

die Mercurii, 28. Julii, A. 1417.

De Jure suffragii Castellanorum & Arragonum, de quo in superiori Sessione inter illos nondum convenerat. Deq; aliis rebus.

In MSC. Vindobonensi Dorriano.

In MSC. Vindob. Dorr.

Sessio publica, in qua confirmata fuerunt Ambassiatoribus Regis Castellæ & magistro militiæ quædam privilegia eis prius concessa.

Anno, quò suprà, die Mercurii, quæ fuit XXVIII. mensis Julii, fuit sessio publica in loco consueto ecclesiæ Constantiensis. Ubi post consuetas solennitates & ceremonias factas, Dominus Petrus de Cracovia, nomine omnium nationum ascendit ambonem. Et ibi primò legit nomine concilii unum decretum, in quo dictum concilium confirmat Regi & Ambassiatoribus Regis Castellæ, & magistro militiæ S. Jacobi de Spata, quædam privilegia, eis prius concessa, & insuper revocavit omnes processus aggravationis, interdicti &c. lati per Petrum de Luna contra dictum Regem Castellæ, suos Ambassiatores, Consanguineos, amicos & servitores, latas, citra, ab anno Domini M CCCC XVI.

Item in eadem sessione per sacrum concilium additi fuerunt duo judices de natione Hispanica judicibus prius datis per sacrum concilium in causa Argentinensi, cum omni

potestate judicibus prius data, ut cognoscant cum aliis judicibus, & causam sine debito terminent & finiant.

Item in dicta sessione provisum fuit Domino Nicolao, episcopo Spalatino, de dicta ecclesia Spoletana, quia dudum in cessione olim Domini Gregorii decretum fuit per sacrum concilium, quòd, ubicunque duo concurrerent in eodem titulo, uno defuncto, superstes sine omni contradictione deberet manere quietus in dicto titulo. Sic fuit, hic factum. Quia adversarius dicti Domini Nicolai viam universæ carnis ingressus, dicto Domino Nicolao superstite, provisum fuit de dicta ecclesia Spoletana.

Item in dicta sessione per sacrum concilium revocatum fuit privilegium, datum Ambasiatoribus Regis Arragoniæ, de vocibus Prælatorum habendis in Sicilia, & in insulis maris in natione eorum. Quia inventum fuit & decretum, quòd dictum privilegium fuit contra capitula inita in Narbona, & etiam per circumventionem dictorum Ambasiatorum, qui dixerunt, quod Ambasiatores Regis Castellæ in eorum adventu de dicto privilegio redderent benè contentos &c. Quod non fecerunt. Quarè revocatum fuit, licet dicti Ambasiatores reclamaverint.

Argumentum in Lipsiensi Codice obvium.

In MSC. Lips. *Die Mercurii vicesima octava* supradicti mensis *Julii, Constantiæ in majori Ecclesia, in loco solito, hora horologii sexta vel quasi, ante meridiem fuit tenta dicta sacrosancta synodi sessio publica, & solennissime celebrata. Pro cujus sessionis introductione Reverendus Pater, Dominus Nicolaus Assisinatensis missam de beata Maria virgine gloriosa devote celebravit. Et hujusmodi missa finita, Reverendissimi, reverendique Patres & Domini, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, cæterique, ad quos pertinuit, mitras capitibus imponentes se cappis pluvialibus induerunt. Reverendissimusque in Christo Pater, & Dominus Dominus Johannes miseratione divina Episcopus Ostiensis, dictæ Ecclesiæ Cardinalis & Vice-Cancellarius Pontificalibus indutus hujusmodi sessioni præsedit. Deinde litaniis, Evangelio & orationibus, & solennitatibus solitis lectis & peractis, Venerabilis Vir, Dominus Petrus de Lamburga, in decretis Licentiatus, ambonem publicationum solitum ascendens, de mandato dictæ sanctæ synodi sibi super hoc facto quoddam decretum publice, alta & intelligibili voce, ac de verbo ad verbum perlegit sub his verbis:* Decretum irritans &c. Vid. infr.

Adjunguntur Commissarii &c. Vid. infr. subsequenter Magister Petrus de Lamburga præfatus adhuc in ambone publicationis prædictæ existens, unum aliud decretum de mandato consimili ipsius sanctæ synodi similiter facto sibi, publice alta & intelligibili voce perlegit in hunc modum: Decretum revocationis &c.

Quo decreto lecto, Sperans in Deo, *unus de Ambasiatoribus Regis Arragonum prædictis, in medio surgens, dictumque decretum in nationibus non fore positum allegans, idem de* nullitate *ipsius* decreti *publice fuit protestatus.*

Ex post reverendi Patres & Domini, Jacobus Turonensis Gallicanæ, Abbas monasterii Castadiani Italicæ, Petrus Teringer Germanicæ, Bernhardus de Planchea Anglicanæ nationum præsidentes, expresse dixerunt, & retulerunt, hujusmodi decretum, in nationibus fore lectum, & ipsis nationibus placuisse, ut legeretur.

Et tunc Reverendissimus Pater & Dominus, Dominus Johannes, miseratione divina Episcopus Ostiensis, & ViceCancellarius, & hujusmodi sessionis præsidens, nomine totius synodi super præmissis omnibus respondit, placet.

Super qua quidem decreti lectione & aliis præmissis venerabilis & circumspectus Vir, Dominus Decanus Segobiensis, Ambasiator Regis Castellæ, nomine ejusdem Domini Regis à protonotariis & notariis hujus sacri concilii atque scribis prædictis, & Augustinus de Pisis advocatus consistorialis nomine ArchiEpiscopi Pisani similiter ad futuram rei memoriam petierunt, & quilibet eorum petiit unum, vel plura, publicum seu publica instrumenta.

Deinde Magister Heinricus de Piro, promotor & procurator prædictus nomine, quo supra, a protonotariis & notariis prædictis unum vel plura, publicum seu publica fieri petiit instrumenta.

Quibus sic peractis idem Dominus Petrus de Lamburga adhuc in loco publicationis sive

sive ambone prædicto existens quandam bullam pro Domino Episcopo Spoletano non tamen de mandato concilii, publice, alta & intelligibili voce perlegit. Qua lecta similiter pro Concilio non fuit responsum placet. Et quia de mandato Concilii non fuit lecta, ac etiam non concilium, sed privatam personam respexit, ideo hic inseri est omissa.

Præsentibus ibidem Reverendissimis in Christo patribus, & Dominis Johanne Ostiense, Laudensi, Hispano, Bononiensi, Venetiarum, Pisano, Veronensi, Tricaricensi, Placentino, Sancti Marci, Rhemensi, Fuxi, de Brancatiis, de Flisco, de Comitibus, & Florentino, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sic vulgariter nuncupatis, nec non Regum, Principum, nobilium, Prælatorum, universitatum, Collegiorum, communitatum, studiorum, & aliorum dominorum spiritualium & secularium Ambassiatoribus, aliisq; Christi fidelibus in multitudine copiosa.

In MSC. Wolfenb. *Sessio tricesima octava.*

In MSC. Wolf. *Die Mercurii XXVIII. suprà dicti mensis Julii, Constantiæ in ecclesia majori fuit sessio publica solenniter celebrata. Et reverendus pater Nicolaus Asissinatensis Episcopus missam de B. Virgine Maria celebravit, reverendissimus verò Pater Dominus Johannes, Episcopus Ostiensis S.R.E. Cardinalis & Vice-Cancellarius hujusmodi sessioni præsedit. Et litaniis ac aliis orationibus & solennitatibus lectis & peractis, venerabilis vir Petrus de Lamburga legit quædam decreta tenoris subsequentis: &c.*

In MSC. Brunf. DIe *Mercurii*, *XXVIII.* mensis *Julii* prædicti fuit *sessio generalis* in ecclesiæ majori, hora tertiarum & loco prædictis. Cui Reverendissimus pater, Dominus *Johannes, Episcopus Ostiensis, Vice-Cancellarius*, tanquam serior & dignior inter Cardinales, præsidebat. Præsentibus ibidem, Dominis, *Angelo Episcopo Penestrino, Cardinali Laudensi, Petro Hispano, Francisco Venetiarum, Alamnno Pisano, Angelo Veronensi, Thoma Tricaricensi, Branda Placentino, Guilielmo S. Marci, Simone Remensi, Petro de Fuxo, Presbyteris, Amadæo Saluciarum, Raynaldo de Branchatiis, Ludovico de Flisco, & Lucido de Comite*, diaconis Cardinalibus & *Francisco Cardinali Florentino* &c.

Pro cujus quidem sessionis introitu fuit cantatum officium missæ per *Nicolaum Episcopum Asisinatensem* de B. Virgine.

Quo peracto, more solito fuit dictum & cantatum officium litaniarum cum introitu, orationibus, litaniis, hymnis, atque collectis, ut moris est.

Quô officiô celebratô, de mandato synodi sacrosanctæ venerabilis vir, Dominus *Petrus de Lymburga*, Decretorum D. ascendit ambonem, super quo publicationes agendorum & decernendorum ipsius concilii fieri solent, & quoddam *decretum* ordinatumque per synodum prædictam *in favorem Regis & regnicolarum regis Castellæ* legebat publice alta & intelligibili voce, cujus tenor inferius est insertus.

Subsequenter, illô finitô, legebat unam conclusionem in modum decreti, ubi decernuntur per concilium & *deputantur*, sive adjunguntur *duo judices de natione Hispanica*, aliis judicibus, sive deputatis *in causa Argentinensi*, mota in concilio inter capitulum & cives Argentinenses ex una, & Electum dictæ civitatis ex alia parte, & sunt hi, videlicet: Dominus *Philippus de Medalea, & Johannes de Lydena.*

Quibus *duobus decretis* lectis, idem Dominus *Petrus* de simili mandato legebat unum *aliud decretum.* In quo decreto synodus declarat, *Ambassiatores & Oratores Regis Castellæ non habere voces Prælatorum de Regnis Trinacriæ & Sardiniæ*, subjectis Regi Arragoniæ, nec eis uti debere in natione Hispanica. Cujus decreti similiter tenor inferius est insertus.

Quô lectô, *Oratores Regis Castellæ* statim petierunt à Proto-Notariis & Notariis deputatis, de præmissa lectura & publicatione unum vel plura fieri publicum & publica instrumentum & *instrumenta.*

Statim venerabilis vir, Dominus *Sperans in Deo*, unus ex Ambassiatoribus illustrissimi Principis Alfonsi Regis Arragoniæ, & sui ac collegarum suorum nominibus ibidem adstantium *protestatus* fuit, quod dictum *decretum non fuit delatum*

tum per omnes nationes. Et quod juxta decreta concilii, illa, quæ non transierant per singulas nationes, nullius sint efficaciæ & momenti, petierunt revocari, & pro revocatis haberi. Et alias protestatus de nullitate ejusdem.

Similiter fuit dictum per Oratores *Infantis Regis Arragonum.*

Quibus prolatis, synodus per organum reverendissimi patris, Domini *Johannis Episcopi Ostiensis*, tanquam præsidentis, respondit: *Placet*, ipsum decretum approbando. Et ne verteretur in in dubium, quod illud decretum non fuisset deliberatum per nationes singulas, levaverunt se *Præsidentes nationum*, qui receperunt à nationibus in mandatis, juxta relationem illorum, qui fuerunt deputati ad componendum & concordandum, atque concludendum decretum super hujusmodi defensione. Inter quos fuit primus reverendus pater, Dominus *ArchiEpiscopus Cinonensis* pro natione Gallicana, tanquam Præsidens, *Petrus Dettinger*, pro Germanica, *Abbas Caserdinantensis* pro natione Italica, *Vicarius Burdegalensis* pro Anglicana, & *Archidiaconus Burgensis*, pro Hispanica, & dixerunt, ita fore *deliberatum per nationes*, & dedisse in mandatis suis deputatis, ad concipiendum decretum de jure, in illa materia, quæ debebat pronunciari in sessione.

Deinde fuit *lecta* una *bulla* dirigenda *communitati Spoletanensi* in Italia, in favorem Domini *Nicolai de Vanianis*, Provisi Spoletanensis. In qua bulla scribebat synodus dictæ communitati & capitulo ecclesiæ Spoletanensis, quòd non eligant alium pastorem per mortem Domini Jacobi de Thoamo, Episcopi Spoletani, cùm dictus Dominus *Nicolaus* aliàs sit provisus de dicta ecclesia. Et dicta bulla, ex quo non transiverat per omnes nationes, neque in eis conclusa, *non fuit completa.*

Postremò Dn. *August. de Pisis*, tanquam unus de populo civitatis Pisanç, aut aliàs tanquam procurator ArchiEpisc. Pisani, protestatus fuit, qualiter sicut aliàs dixit, quod insula Cursitanensis quoad spiritualia esset de provincia Pisana, qualiter aliàs fuisset protestatus, quod decretum tunc in favorem Arragonensis concessum præjudicaret provinciæ Pisanæ, & ArchiEpiscopo Pisano. Idcircò tunc contradixerat. Et ex quo tunc contradixit, modò autem decreto præsenti, quod illud cassat atque tollit, acceptat tanquam procurator dicti ArchiEpiscopi, & aliàs tanquam unus de populo civitatis Pisanæ.

Quæ *protestationes* per concilium & synodum hinc inde fuerunt admissæ. Et ipsum concilium & synodus mandarunt Protonotariis & Notariis, atque Scribis prædictis, fieri desuper tot, quot sunt necessaria, publicum & publica *instrumenta.* Præsentibus prædictis Dominis Cardinalibus, Franciæ, Angliæ, Arragoniæ, Castellæ, Portugalliæ, Neapolitani, Cypri, Daciæ, Sveciæ, Norwegiæ, Poloniæ, ac Hungariæ, Dalmatiæ &c. Regum Ambassiatoribus, ceterisque nobilibus, Doctoribus, & suppositis concilii in multitudine copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Tenores verò decreti *Castellanorum Commissionis* in causa Argentinensi, nec non decreti *sublationis vocum Arragonensium in natione Hispanica*, seqvuntur, & sunt tales:

Decretum irritans pœnas à Petro de Luna quondam latas contra Ambassiatores Infantis Henrici.

In MSC. Brunsv. & Lips.

Per Petrum de Lymburga lectum.

SAcrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitimè congregata, ex certis ac justissimis causis, eandem synodum moventib°, nuper omnes processus, tàm super proprietate, quàm possessione, privationes etiam beneficiorum, quæ possidebant, & collationes alias de eisdem factas, aut excommunicationis, suspensionis, vel quascunque alias sententias, in seu contra venerabiles fratres, ac dilectos ecclesiæ filios, Ambassiatores & procuratores charissimi ecclesiæ filii, Johannis Regis Castellæ, consanguineos & familiare-

liares eorum, à die I. mensis aprilis, anni Domini MCCCCXVI. citra, factos aut promulgatos, irritavit & cassavit, irritaque atque cassa esse denunciat, (denunciavit) statuitque atque decernit, (decrevit) Ambassiatores prædictos, consanguineos vel familiares ipsorum, perinde ad statum pristinum reducendos, acsi privationes, collationes, processus & aliæ sententiæ prædictæ, latæ aut promulgatæ minime fuissent, etiamsi super processibus, privationibus, aut collationibus, sententiis prædictis, aliquæ bullæ sive literæ appareant sub anteriori data, quæ tamen ante diem non fuerant in partibus præsentatæ, & plenariæ executioni mandatæ. Volens itaque eadem sancta synodus, ex similibus causis mota, dilectos ecclesiæ filios, Vitalem de Scoto, (Soto) commendatorem de Cranaqua, & fratrem Johannem de sancto Jacobo, ordinis fratrum Minorum, in Theologia Magistrum, & Garsiam de Vegara, (Vergaria) militem ordinis S. Jacobi de Spata, ac Johannem Alfonsi, Baccalaureum in Decretis, Ambassiatores & Procuratores dilecti ecclesiæ filii, illustris Henrici, Infantis Arragoniæ, Siciliæ &c. ac dicti ordinis S. Cæciliæ, militiæ S. Jacobi de Spata, Magistri, simili favore prosequi, ac eâdem quoad præmissa prærogativâ gaudere: Prædictum statutum, decretum, irritationem ac cassationem prædictas, ad præfatos Ambassiatores & Procuratores prædicti Infantis & Magistri, & ad consanguineos & familiares eorum, decernit perinde extendi, acsi in supra dicto decreto aut statuto fuissent una cum prædictis Ambassiatoribus Regis Castellæ & specialiter nominati.

Adjunguntur Commissarii in causa Argentinensi.

Petro de Lamburga prælegente.

In MSC. Brunsv. ac Lips.

SAcrosancta & generalis synodus Constantiensis pridem constituit, ordinavit, & deputavit certos *Commissarios*, videlicet reverendissimos patres, ac Dominos, *Angelum Veronensem, & Brandam Placentinum*, S. R. E. *Cardinales* sic vulgariter nuncupatos, nec non *Johannem Patriarcham Constantinopolitanum, Marinum Aprutinum, Johannem Gebennensem, Jacobum Plocensem* [*Placentinum*,] *Patricium Cortagensem*, episcopos, *Richardum Dechan*, sanctæ apostolicæ sedis Proto-Notarium, *Thomam de Amelia*, (Omena) & *Nicolaum Vordis*, (Wordis) sacri palatii apostolici causarum auditores, in *causa Argentinensi*, inter dilectum ecclesiæ filium *Wilhelmum Electum Argentinensem, Fridericum de Buz* Cantorem Argentinensem, & eorum litis consortes ex una, & *Hugelmannum de Vinstingen*, Decanum, *Fridericum de Zolre*, Canonicum, & capitulum ecclesiæ, & *Rulinum*, (*Raulinum*) *Bartheameken*, (Barpenning) *Michaëlem Düvendriver*, (Melburge) Magistros civium, Consules & Pro-Consules ac communitatem civitatis Argentinensis, & eorum ab utraque parte complices & adhærentes, conjunctim & divisim, parte ex altera, *de & super captivitate*, (captivatione) violentia, dilapidatione, & aliis tunc expressis, tàm ex officio, quam ex alterutrius partis instantia parte ex altera motis; Exceptis, in quibus ad nonnullos actus per eosdem Commissarios est processum, prout in commissione eis factâ & processu habito plenius continetur: Eadem sancta synodus certis ex causis, præfatis judicibus, *Commissariis* & deputatis, aggregat & *adjungit*, deputat & constituit *conjudices*, dilectos ecclesiæ filios, *Michaelem de Navers*, utriusque, & *Johannem de Lydena*, legum, Doctores, cum potestate resumendi causam in eo statu, in quo est & pendet coram ipsis, statum ipsius habentibus pro sufficienter expresso: Continuandique, procedendi, cognoscendi, decidendi & audiendi cum prædictis prius datis & deputatis judicibus & Commissariis, omniaque ulterius faciendi juxta formam & tenorem commissionis, primis Commissariis judicibus Deputatis factæ & præsentatæ consimiliter, ita quod valeant & roboris firmitatem obtineant facta per majorem partem ex eis,

eis, etiam cum potestate in hujusmodi causa quamcunque sententiam interlocutoriam etiam vim definitivæ habentem proferendi, processus necessarios decernendi, declarandi, aggravandi & reaggravandi, & invocandi, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. Reservato tantummodo sanctæ Synodo calculo finalis & principalis definitivæ sententiæ, in sessione publica, super indemnitate Ecclesiæ Argentinensis, relatione processus prius facta, proferendæ.

Decretum revocationis vocum Ambassiatoribus Regis Arragonum concessarum.

In MSC. Lipſ. & Wolfenb.

SAcrosancta generalis synodus Constantiensis &c. Cum per capitula Narbonæ concordata inter cætera cautum fuerit, quod non ordinentur, statuantur, vel fierent aliqua, directe vel indirecte, concernentia aut tangentia Dominos Reges, Principes, Prælatos & alios de obedientia Petri de Luna à nonullis olim Benedicti XIII. nuncupati, vel aliquem ipsorum: Et post per hanc synodum concessum fuerit Ambassiatoribus & oratoribus carissimi Ecclesiæ filii, Regis Arragonum, præsentib9 tunc, & aliis venturis etiam, *per modum conventionis & pacti*, quod dicti oratores in natione Hispanica hoc durante concilio haberent vocem tantæ virtutis & autoritatis, quantæ essent vocés omnium Prælatorum, & Ecclesiasticarum personarum, regnorum & terrarum dicti Regis, quæ possidet citra & ultra mare, qui ad generale concilium sunt assveti vocari: Cum protestatione tamen hinc inde facta, quod præmissa intelligerentur *concessa sine præjudicio* dictorum capitulorum, prout in decreto super hoc facto latius continetur: Verùm, cum *Ambassiatores* charissimi Ecclesiæ filii *Regis Portugalliæ* illustris publice concessioni hujusmodi se opposuerint, & cum de hujusmodi concessione tractaretur, & timeretur, quod advenientes *Ambassiatores* charissimi Ecclesiæ filii *Regis Castellæ* illustris ipsi verisimiliter de hujusmodi concessione sive decreto turbarentur, & conquererentur, prout jam super hoc *gravem exposuere querelam*, asserentes, hujusmodi concessionis observantiam in eorum tendere læsionem, & fore contra prædicta capitula concordata: Pendenteque hujusmodi tractatu præfati Ambassiatores Regis Arragoniæ sæpius in effectu dixerunt & asseruerunt, quod dictos Ambassiatores Regis Castellæ redderent contentos, & cum eisdem super hoc bene concordarent, & contra eorum voluntates dictis vocibusuti nollent: Propter has & rationabiles alias causas; Attento etiam, quod ex hac quæstione agenda in hac synodo differri & impediri possent, prout hactenus nonnulla, bonum unionis Ecclesiæ concernentia, retardata & dilata fuerunt: Eadem sancta synodus volens in omnibus & per omnia eisdem capitulis inhærere, & unumquemque in sua justitia consovere, pro bono pacis & concordiæ partium prædictarum, ac nationis Hispanicæ, & suppositorum ejusdem, ex certa scientia decernit & declarat, quod *Ambassiatores Regis Arragonum* prædictis *vocibus Prælatorum*, & aliorum absentium, qui ad concilium consveverant evocari, quæ eisdem concessæ fuerunt *extra Hispaniam*, ut præfertur, *uti nullo modo possint nec debeant in natione Hispanica* supradicta, sed *quod singuli Ambassiatores Regum Castellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Navarræ*, habeant & *præsentent in natione* supradicta *vocem omnium Prælatorum*, & aliorum absentium, qui consveverant ad concilium evocari, solùm & duntaxat regnorum & dominiorum suorum, quæ habent in Hispania.

Chri-

Christiano Lectori S.

SIc tandem Christianissimus *Cæsar Sigismundus*, cum Concilii Patribus, summisve orbis Christiani capitibus, immensis laboribus exantlatis, tres Pontifices debellavit, qui Ecclesiam quassaverant ac misere turbarant, *Johannem, Gregorium*, & *Benedictum*. Neque durior nodus, Benedicto; Neque durior cuneus illo, qui huic scindendo ac dissipando quæsitus & admotus.

Duo illi postremi, *Gregorius* & *Benedictus*, nupero Concilio Pisano sede jam erant moti. Verum, quod illam sententiam riderent, repetenda fuit Concilio præsenti condemnatio, ut fortioribus uterque constringeretur vinculis, quibus à Sede omnino abstraheretur.

Quod Constantiensis Concilii facinus tanto justius creditum, quanto digniores illâ sententia in Pisano Concilio jam ante erant publice reputati. Quod ut clarissime de utroque appareat, juvabit ex *Episcopi Novariensis* solenni *oratione*, quam à condemnatione utriusque, Gregorii & Benedicti, ante ingressum Cardinalium in Canclave, pro novo Papa eligendo, *in Concilio Pisano*, in publica Panegyri, Sessione XIX. dixit, & ex *Oratoris Constantiensis Sermone publico*, symboli loco pauca attexere, uti antiquus *Codex MSC.* suggessit.

Episcopus Novariensis, de Benedicto & Gregorio, in solenni Oratione, A. 1409. in Concilio Pisano dicta.

Ex MSC. Erfurt

In MSC. Erf. Ecce, apparet ex his, Patres & Domini, quid *hi olim pastores*, militibus Christum crucifigentibus deteriores, fecerunt. Illi inconsutilem Christi tunicam recte ut dividerent sortiti in funiculo, distributionis onere, Christi imitatores. Ille fecit, quia pax nostra est, utraque unum: Isti vero, ut Christi & ecclesiæ hostes, de uno fecerunt duo. Ille alias oves, quæ non ex suo primo erant ovili, adduxit, ut unum fieret ovile: Isti autem per Christum adductas oves ad ovile unum, separant & dividunt, ut unitatem, quæ est in omnibus, auferant.

Ubi est apostolicum illud? *Rom. XII. Multi unum corpus sumus in Christo.* Non norunt certe *pastores olim isti* corpus Christi, ex quo corpus Christi negligunt. Et si non negligunt, ubi quæso, in eis sacramentum pietatis? ubi vinculum charitatis? Accedant, incorporentur, inquit Augustinus super Johannem, ut vivificentur, non abhorreant à compage membrorum.

Sed quia non habitant unanimes in domo militantis ecclesiæ, veluti membra putrida à Christi corpore resecari meruerunt. Non enim pertinent ad totum Christi corpus, tanquam divisores inconsutilis tunicæ Christi & unitatis ecclesiæ. Ideo nec participes erunt Christi corporis, quod est ecclesia. *Ceciderunt* enim, qui operantur iniquitatem. Expulsi sunt, & non potuerunt stare &c. scribitur *psalm. XXXV.* Justa quidem *expulsio*, sancta *condemnatio*, recta & æqua *contra eos per sanctam synodum lata sententia* & in jure divino fundata, prout ex dicendis apparebit. *Hos* enim, & *eorum tempus*, ad Timotheum III. scribens, *apostolus prævidebat*, dicens: *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, sine affectione, sine pace, sine benignitate, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

Sed oro, Patres & Domini, si virtutem habent pietatis, ubi ipsorum observatio promissorum? ubi fides data? ubi præstiti juramenti executio? ubi voti adimpletio? ubi ipsorum literæ, *pro unione fienda liberam cessionem promittentes?* Non enim legerunt cum consideratione: *Promitte, plenius, quam promiseris, serva.* Quid ridiculosius dicam, *summo Pontifice mendace?* Sub quo necesse est Petri naviculam, ne naufragium patiatur, & omnino illibatæ fidei opus, regi & gubernari.

„ Stabile prorsus ac solidum *promissum* esse debet, in quo fundata est tantorum spes,
„ & tranquillitas omnium fidelium populorum. Sed *qui decipiunt*, juxta sententi-
„ am Senecæ, *nihil habent solidum. Tenue est mendacium, perlucet, si diligenter in-*
„ *spexeris.*

„ Digne igitur eos, Patres & Dni, juxta scripturæ præceptum condemnando, per-
„ didit ecclesia. *Perdes enim*, inquit, *eos*, qui *loquuntur mendacium*, *Psal. V.* Reddit autem
„ hujus perditionis rationem *Augustinus*, dicens: *Perdes omnes, qui loquuntur menda-*
„ *cium, hoc est, veritati contrarium. Sed ne quis putet aliquam substantiam vel natu-*
„ *ram veritati esse contrariam, intelligat, ad id, quod non est, pertinere mendacium, non ad*
„ *id, quod est. Si enim dicitur, quod est, verum dicitur. Si autem hoc dicitur, quod non est, men-*
„ *dacium est.* Ideo *inquit: Perdes eos, qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo,*
„ *quod est, ad id, quod non est, declinant.*

„ Sed ubi olim horum Pontificum juramenti observatio? numquid non ipsi le-
„ gerunt.: *Qui facit irritum juramentum, & solvit pactum, in medio Babylonis morie-*
„ *tur.* Et intra: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam juramentum, quod sprevit, & fœdus,*
„ *quod prævaricatus est, ponam in caput ejus, ut expandam super eum rete meum, & com-*
„ *prehendetur sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi in prævari-*
„ *catione, quia despexit me*, scribitur *Ezech. XVII.*

„ Non enim, Patres & Domini, olim horum Pontificum, illius populi Romani
„ Imperatoris Marci regula, *fides.* Qui, ut *primo de Civ. Dei, c. XV.* refert *Augustinus*,
„ propter juris jurandi fidem nec remanere in patria elegit, nec inde quolibet ire,
„ sed ad suos acerrimos inimicos redire voluit, à quibus novo ac prius inaudito ni-
„ mium horribili supplicii genere cruciatus & extinctus est. Deos, per quos jura-
„ verat, certe sic ille coluit, ut etiam vita carere, quam ipsos offendere maluit.
„ Nostri autem olim Pontifices, postergato Dei honore ac salute Christianæ reli-
„ gionis, elegerunt potius rumpere jurisjurandi fidem, quam fumum scintillæ mun-
„ dani & gemmati verticis, quam gloriam serici & purpurei tegminis, quam fastum,
„ caduci honoris observantiam. Dilectores, inquit, hujus seculi putant: Parvi
„ cordis, & segnis est animi, terrenas opes spernere, honores acciduos fastidire, nec
„ quærere gloriam. Ubi laudatur peccator in desideriis animæ suæ: Et iniqua ge-
„ runt: Bene dicitur.. Legant pariter & catholicam partem libelli *De vita so-*
„ *litaria.* Ubi ait, contemtus iste rerum temporalium, ad quæ tendat, & qualia con-
„ cupiscat. Nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenitur erectius, quæ san-
„ ctissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam, quamvis
„ potentem ac mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium ambiunt creatorem,
„ cui appropinquare calescere est, quem timere gaudium est, cui servire regna-
„ re est.

„ Nec ultra mirum, si super pastores iratus est furor Domini, *Zach. X.* Ex quo
„ vota impleri tardantur emissa: Imo verius manifestissime recusantur, aperto
„ contemtu divinæ legis, dicentis: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardes red-*
„ *dere. Quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabit tibi in pec-*
„ *catum. Quod enim semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies, sicut promisisti*
„ *Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es*, scribitur *Deut. XXIII.* Tu
„ ergo, qui vovisti *Papatui cedere*, redde altissimo votum tuum.

„ Ecce ergo, Patres & Domini, monstrante experientia videtis, qualiter *istis-*
„ *rum olim Pontificum* promissa fides rumpitur, gemit decor honestatis, sacrum fa-
„ ctum perditur, fugit valor firmitatis, emissum votum spernitur, cadit fervor bo-
„ nitatis. *Corrupti sunt* igitur, inquit Psalmista *Psalm. XIII. & abominabiles facti sunt*
„ *in studiis suis*, dum non Deum, dum non unitatem Christi corporis, sed hoc secu-
„ lum amant, cujus affectiones animam corrumpunt. *Ambo* declinaverunt simul,
„ non est ex eis, qui faciat bonum. Ideo contritio & infelicitas in viis eorum.
„ Imo illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Timuerunt regnum terre-
„ num amittere, ubi non erat timor, & amittent certe regnum cœlorum, quod
certe

certe timere debuerant. Cum enim temporalium amissionem timeant, ad æ-
" terna non venient. Et regnum militantis ecclesiæ, ne ipsa triste naufragium patia-
" tur, jam justo *Dei* miserunt *judicio.*

Divina est enim *sententia, per sanctam synodum lata.* Legite Ezechielem, u-
" bi hæc Dei in forma sententia: *Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos! nonne greges*
" *pascantur à pastoribus! Lac comedebatis & lana operiebameni, & quod crassum erat, oc-*
" *cidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis,*
& quod ægrotum, non sanastis, quod fractum, non alligastis, & quod abjectum erat, non re-
" *duxistis, & quod perierat, non quasivistis, sed cum austeritate imparabatis eis, & cum po-*
" *tentia, & dispersæ sunt oves meæ & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum. Pro-*
" *pterea, pastores, audite verbum Domini: hoc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pa-*
" *stores. Requiram gregem meum de manu eorum, & non erit eis ultra in escam.* Et pau-
lisper: *Suscitabo pastorem unum, & ipse pascet oves meas.* Scribitur hæc divina senten-
" tia *Ezech. XXXIII.*

" Habetis jam, reverendissimi Patres & Domini, huc usque monstratum, qua-
" liter militans nostra mater ecclesia *lustris sex jam peractis* fuit *pastore bino lacerata,*
tolerando grave jurgium, errore sævo tenebrata, deplorando grave scandalum,
" mœrore diro fatigata, fugitando sævum jaculum.

" Propter quæ sancta *synodus*, quæ debite congregata errare non potest, ut
" omnes unum corpus simus in Domino, & servemus unitatem spiritus in vinculo
pacis, ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in a-
" stutia, ad circumventionem erroris, justo, vero, ac sancto *judicio, contra duos collu-*
" *dentes de Papatu* sententiam *privationis utriusq;* tulit, ut sancta ecclesia, pastore u-
" nico & indubitato collecta, sit cunctorum gaudium.

In MSC. Erf.

Vitalis Episcopus Tholonensis

Oratione solenni, A. 1416. Ante Pascha, Constantiæ habita.

In MSC. Erfurt.

" *Ad sanctificationem seu reformationem ecclesiæ vocavit nos Dnus in Pisano concilio.*
" Sed *voce corvina* utebamur, dicentes & promittentes: *cras, cras, & reformabimur.*
" Durabat ergo *usq; nunc* illius schismatis procellosi diluvium. Et malis prioribus
" *pejora* proh dolor *secuta* sunt. Sique consimiliter prætendentes, nos velle *hic* facere
" unionem, *reformationem ecclesiæ*, ridiculosius *differamus*, dicendo: *Cras reformabimur.*
" De quo *cras* uno, *cras*, puto, nullæ fient: Pejoribus indubie *superventent pessima.* Quia
" *per vocem* hanc *corvinam*, qua reformationem *frivola procrastinatione* perimimus, nun-
quam optatæ pacis renunciabitur aura placabilis & serena. Nam impossibilissi-
" mum est, ut in membris perseveret aut floreat unio in veritate pastoris. *Ecce,*
" inquit Dominus, *in sceleribus vestris dimittam matrem vestram. Quia vocavi, & non*
" *erat, qui audiret*, 1. *Sam. I. Locutus sum ad vos, & non obedistis, misi ad vos servos meos*
& Prophetas, & prædicatores verbi mei, exponente sic *Beda, nec inclinastis aurem, ne-*
" *que audistis me. Idcirco ego adducam super omnes habitatores Jerusalem, universos scili-*
" *cet status ecclesiæ, universam afflictionem, quam locutus sum ad illos, & non audiernnt, vo-*
" *cavi illos, & non responderunt mihi, Jerem. XXXV.* Verentes ergo, priusquam veniat,
miserabilem nostri subversionem honoris, Videamus attentius hanc vocationem
" nostram, 1. *Corinth. II.* Nec patientiâ Dei abutamur ad vitium. Qui *vocavit nos*
" ad arcem & ad mœnia civitatis, *Prover.* in spiritu scilicet sancto, *ad sacrum con-*
" *cilium.* In quo ostenditur primum, quomodo altissimus dulciter vocat, postmo-
dum terribiliter increpat, ad extremum autem irretractabiliter damnat. *Gregor.*
" *XVIII. moralium.* Et ideo à nobis amplexetur illa miserantis *altissimi benignitas*
" *gratiosa*, qua vocavit nos Deus.

" Secundo exprimitur in præmisso textu *status ecclesiæ pristini calamitas dolorosa*
" quæ notatur *in immundicia.* Templum enim olim profanari solebat hac immun-
dicia triplici. Prima per adoratas statuas idolorum. Contra quod dicitur
" *Ezech. XX.* In idolis Ægypti *nolite pollui, ego Dominus Deus vester. Et noluerunt au-*
" *dire me. Unusquisq; abominationes non projecit, & idola Ægypti non reliquerunt.* Et 2.
Cor. VI. Quis consensus templo Dei cum idolis? Secunda immunditia erat *templi* per

sepulta in eo ossa hominum profanorum, qui descenderunt in infernum cum animis
suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, *Ezech XXXII.* Et immundicia
" tertia seu pollutio *per effusum in eo sanguinem*, seu semen, aut fluxum immundorum.
In fornicationibus & immundiciis polluta est ecclesia. Filii Babylonis polluerunt
" eam in stupris suis, & polluta est ab eis, *Ezech. XXIII.* Polluerunt templum san-
ctum tuum, & posuerunt morticinia servorum tuorum, *psalm. LXXVIII.*
" Et hujusmodi *tres immundiciæ* moralitate mystica nobis signant *tres spirituales*
" *pollutiones*, quibus nostra supra modum inquinatur ecclesia.
Nam prima denotat intolerabilem in ea cœtum *Præsidentium*, proh dolor *pes-*
" *simorum.* Quæ transsumtiva *idola* sunt, juxta *Zachariam c. XI. ô pastor & idolum.*
Secunda signat detestabilem in ea numerum, in abusionibus, enormitatibus
" & *cultu rituum blasphemorum.* De qualibet ossibus dici poterit illud *Jerem. VIII.*
" *Ejecit Dominus ossa Regum juda, ossa sacerdotum, & ossa eorum, qui habitaverunt Jeru-*
lem, de sepulchris suis in sterquilinium, super faciem terræ erunt.
" Et tertia signat *abominabilem* in ea *luxum.* Injuste egerunt contra legem
Sophon. III. polluerunt sanctuarium meum & Sabbatha mea profanaverunt, Ezech. XXIII.
" Injusta ergo radice triplici constat *status ecclesiæ pristini calamitas* dolorosa, quæ
" notatur *in immundicia.*
Non enim vocavit nos Deus in immundiciam, sed, *Accipiant, qui vocati sunt,*
" *sanctificationem.* Videlicet quia *hæc est voluntas Dei, vestra sanctificatio*, quæ sancti-
cat vocatos suos, *Soph. I.*
" Et hæc expectati *remedii* felicitas gaudiosa, *sanctificatio* scilicet *ecclesiæ*, ad
" quam vocati sumus: Quod erat membrum tertium ex consideratione triplici,
ad statum diffusius perstringendum.
" Intueamur tamen primitus, qualiter secunda particula Epistolarum officii
hæc tria præmissa in se continet, & ordine ipso, quo recitata sunt. *Si enim san-*
" *guis hircorum vel vitulorum aut cinis vituli asperfos inquinatos sanctificat &c. Quanto*
" *magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo* .Ecce vocantis altissi-
mi benignitas gratiosa.
" Vocavi, inquit Crucifixus noster, & renuistis, extendi manus meas in cruce,
& non erat, qui aspiceret. *Prov. II.* ô indurati filii Adæ, quos non emollit tanta
" Domini vocantis benignitas! Bene *in sermone quodam* in textu subditur: *Emun-*
" *dabit ab operibus mortuis.* Ecce *status ecclesiæ pristini calamitas dolorosa.* Quia immun-
dicia ex operibus mortuis, *mortiferis* scilicet *abusionibus*, de quibus jam creditur
" emundanda.
Et demum annectitur, *ad serviendum Deo viventi.* En expectati *remedii* feli-
" citas gaudiosa, sanctificatio seu *reformatio ecclesiæ*, per quam liberati serviemus Do-
" mino in sanctitate & justitia *Luc. I.* Christo scilicet, qui dilexit ecclesiam & se-
metipsum tradidit pro ea in passione sua, scilicet, quam hodie exordimur, util-
" lam sanctificaret, mundans lavacro, & exhiberet sibi gloriosam, *Ephes. V.*
Præterea, Reverendissimi Domini, ut planiori stylo potiar, reconciliatio
" ista seu *reformatio ecclesiæ* in hunc fundari debet respectu trifario: Ut *idola*, id est
" *pastores iniqui* legitimis processibus *conterantur.* Nam hoc est *expectatum remedium*
contra primam immundiciam: Ut enormitates & *abusiones* contrariis sanctionibus
" *evellantur*, contra secundam: Ut *luxuriæ* & *libidines*, nec non humilium *oppressiones*,
à nostris Præsulibus retrahantur, contra tertiam, quæ stat in semine & sanguine,
" velut supra.
" *Accipiant* ergo *qui vocati sunt, libenter ecclesiæ reformationem.* Quia non voca-
vit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem. Audite me Levitæ, & san-
" ctificamini, *mundate domum Domini mei.* Auferte omnem immundiciam de san-
ctuario, 2. *Paral. XXIX.*
" Quoad primum enim istorum membrorum, sanctificanda in proœmio spera-
" tur ecclesia *per contritionem* illius *idoli*, Domini videlicet *Petri de Luna*, quod salvâ
semper reverentiâ obedientiæ suæ dico, etsi verissime prius in Papatu steterit,
tur

„ jam tamen *se idolum exhibet* obstinationis animo. Sed heu! Quia nunc est *idolum*
„ *luti* in templo Dei positum, 4. *Reg. XXI.* seu *idolum* verius inflexibilis *ferri*, quod
„ ad tantas instantias non inclinatur fidelium, ut desideratam pacem tribuat to-
„ ti mundo : Nil aliud ergo restat, nisi quod *ejectionis opprobrio demoliatur hæc synodus*
„ *excelsa hujus idoli. Amos* 1. Num credis? Aliquando audebat patrum calamus *sum-*
„ *mos Pontifices appellare idola*, quos vel electio suspecta, quia facinorosos & infames
„ præfecerat in sublimi, vel honoris susceptio jam reddidit obstinatos, ut de salute
„ fidelium non valeant reminisci. Ubi, inquit *Petrus Blesensis*, *tunc erant Cardinales,*
quando fidelium superbiæ idolum abominationis in apostolatus apicem eligebant. Respue-
„ *runt homines pacis, hominemq; dissensionis & scandali evexerunt. Ecce antiqua malitia!*
„ *Ecce problema Jotham de filiis Gideonis, de quibus filii Israel volentes sibi ducem eligere,*
contemtis filiis legitimis, & Abimelech spurium & crudelem elegerunt in Ducem. Juxta
„ *cujus verbum ligna sylvarum, non ficum, non vitem, sed ramnum sibi elegerunt Regem, et-*
iam egressus est ignis de ramno, & devoravit cedros Libani, qui cedrorum euphemiam jam
„ *fere consumsit.* Hæc ipse *Petrus P.* 1. *epistolarum epistola XL.*

„ Non blandior alicui, qui de papatu contenderat. Cum vix aliquis sponte
„ puro cedere voluit culmini, quamdiu ipsum libere habere potuerat. Et ideo de
„ membris suis merito novit conqueri lacerata sic ecclesia. Quia in isto turbine
schismatis *deceperunt eos nimium idola sua*, *Amos II.*

„ Pertransiens ergo hanc materiam, ad *Prælatos* sub eis *inferiores* jam venio.
„ Qui, juxta idoli descriptionem ex Apostolo & Isidoro, *apparent esse pastores, & non*
sunt, patres ecclesiæ, & ipsam destruunt.

„ Repleta est terra *hujusmodi idolis.* Et ab ipsis jam idolis omnes populi con-
funduntur. *Esa. I. & II.*

„ Et quid fabricavit *moderna templa tot idolis*, nisi *dominandi libido* vel *seductio li-*
bidinis, ut de Salomone legitur *III. Reg. XI.*

„ Oportet ergo, ut *pro reformanda ecclesia*, ex verbo Prophetiæ *fundamenta tali-*
„ *ter revelentur*, & ponantur idola in perditionem *Mal. I.* Et ut disperdantur no-
mina idolorum de terra, & non memorentur ultra. Spiritusque immundi de ter-
„ ra, videlicet ecclesiæ auferantur. *Zachar. XIII.*

„ Nec sum in illa *sinistra mala*, patres amantissimi, quod personas aut status ex-
„ optem interimi : Nec in illa *adulatoria dextra*, quâ abusiones in talibus non cu-
„ perem enarrari. Sed nunc inter istos *latrones*, *adulatores* scilicet & *invidos*, eligit
suspendium anima mea *Job. VII.*

„ Quia, in veritate fateor: Donec *ab his idolis depurgetur ecclesia*, ut vel, qui pri-
„ us idola erant, *reformandi discant*, *quales in meritis esse debeant*, & sic, velut appa-
„ rent in gradu, realiter se ostendant operum in effectu, vel *incorrigibiles deponantur*
„ à gradibus, ut idolorum loco vivi patres atque veri substituantur & habiles: Non
vocabitur nostra Jerusalem mons sanctificatus, *Zach. VII.* Nec sanctificata erit ec-
„ clesia ab immundis, 2. *Reg. IX.*

„ Aut enim optarim vitium à persona, vel personam à statu eradicari & eximi, sed
„ honorem status dominii non expelli, aut ob supposita mala gradus celsitudinem
„ autenticam vilipendi.

Sanctificanda est ergo *ecclesia*, per *idolorum contritionem.* Ut domus ipsa Dei in
„ sanctificatione permaneat. *Judith. IX.*

Et sanctificanda secundo est ecclesia, per profanorum seu gentilium ossium
„ ejectionem. Hæc ossa morticina in sepulchris, *abusiones* mihi signant *innumeras*
„ *in ecclesia sepultas mirabiliter coloribus exquisitis.* Quas Dominis meis *reformatoribus*
commendo, de prioribus extirpandas defensionum sepulchris, & extra ecclesiæ li-
„ mites longe penitus projiciendas. Et vere hæc sunt *opera mortua*, *abusiones* scilicet
„ *permissa in ecclesia.* Cum spiritualis mortis inductiva sint & sempiternæ mortis fi-
naliter promotiva. De qua morte cavetur in secunda particula evangelii hodier-
„ ni: Venient jam ad propositum: *Amen, dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit,*
mortem non gustabit in æternum.

In-

Intuere ergo & mirare
Optime lector
tertiam hanc eamque magnam
Magni Constantiensis Concilii
periodum,
Benedicti XIII. Papæ
Petri de Luna
fatalem periodum,
in *Pisano* quidem nupero *Concilio*
A. M CCCC IX.
CÆSARE RUPERTO
definitam,
Mox autem
magno zelo urgente
Christianissimo
CÆSARE SIGISMUNDO,
applaudentibus omnibus Christianis Regibus
ac Principibus,
adjuvantibus Cardinalibus,
Patriarchis, ArchiEpiscopis
& Episcopis innumeris,
in publico Christiani orbis theatro
sub cœlo Germanico,
in urbe Imperiali, Constantiæ,
A. MCCCC XVII.
plene planeque confectam,
Hodie
seculo pene tertio elapso
ex antiquissimis Codicibus MSCtis
A. M DC IC.
curate descriptam
ac mense Aprili absolutam
Gloriosissime Imperante
CÆSARE LEOPOLDO
TRIUMPHATORE